



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Difficultas III. Utrum dentur in Creatis Præcisiones objectivæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

Patris. Ergo si ante omnem præcisionem est verum quod Filius sit ex Persona Patris, verum etiam erit quod sit ex Essentia, vel ab Essentia Patris.

RESPONDETUR. Hoc solo sensu id verum esse, quem etiam inibi intendit Concilium, quod Filius sit natus, ex fecunditate Naturæ divinæ. hoc autem sensu Filius est ab Essentia Patris.

INSTAT. Veræ sunt hæ Propositiones in sensu reali, sumendo Essentiam pro Persona, Essentia generat. Essentia generatur. Essentia procedit, sicut etiam hæ. Essentia non generat, Essentia non generatur. Essentia non procedit, sine ulla contradictione, nam licet Essentia sit singularis, quatenus est realiter indivisibilis, in plures Essentias, quia tamen habet multipliciter realem Personalem, potest supponi indefinite & particulariter, imò hæ Propositiones Essentia generat, Essentia non generat, non sunt contradictoriae, sed subcontrariae, sicut non sint contradictoriae. Persona generat, Persona non generat.

RESPONDETUR. Sumendo Essentiam pro Persona, vera est Propositio Essentia generat. Sed nego ita illam sumi debere, ob phrasim Lateranensis, quod definit. Essentia non generat. Concedo has, Persona non producit, Persona producit non esse contradictorias, sed subcontrarias, quia pro alia Persona supponit affirmatio, pro alia Negatio. Non est autem alia Essentia generans seu genita, alia non generans seu non genita, consequenter hæ non sunt subcontrariae sed contradictoriae.

Colliguntur quadam.

COLLIGES I. Quis sit Processus totius hujus difficultatis, asserit communis sententia, si non detur distinctio formalis ex natura rei in Divinis, dari saltem Distinctionem virtutalem, negavit utrumque hic recentior. Instat communis sententia per fidem, Essentia non generat, Paternitas generat si Ly Natura & Ly Paternitas non distinguuntur. Ergo implicabit Mysterium Trinitatis, quia de indistinctis, hæc duo verificari non possunt.

RESPONDET. Recentior, etiam Essentiam generare.

INSTAT. Communis sententia. Lateranense Concilium definivit, quod Essentia nō generet.

CONTRA hoc inculcabatur. Debere aliquo sensu sumptam Essentiam non generare, & quidem nemine cogitante, ut ita salvetur & Mysterium Trinitatis, quod est nemine cogitante, & Decretum Lateranensis, casu autem quo ostendatur, in quo sensu sumpta Natura non generet, cum Paternitas generet, sequenter duo. Imprimis inter Naturam sic sumptam & Paternitatem debere poni distinctionem, ne de eodem indistincto verificetur: generat, non generat, deinde sequitur unum prædicatum convenire Naturæ nemine cogitante, quod non conveniat Paternitati, nemine, inquam, cogitante, quia nemine cogitante, datur Mysterium Trinitatis,

in quo est Natura Divina, de qua enuntiavit Lateranense non generat, & Paternitas, de qua enuntiatur quod generet.

COLLIGES II. Si quis cum Joachimo diceret, non esse in Trinitate unitatem veram, sed per consensionem &c. manifeste esset Hæreticus. Cæterum ita enuntiat Ruiz, loco citato Sect. 4. n. 3. Si quis expressè profiteretur Essentiam divinam esse realiter unam, propriè ac verè &c. Si tamen assereret propriè loquendo, ac de rigore sermonis esse, veras hujusmodi Propositiones Essentia generat, Essentia non generat, &c. foret ejus sententia non modò temeraria, sed etiam periculosa, & errori proxima, casu autem, quo affirmaret eum modum loquendi non esse proprium, ac de rigore sermonis, in hoc eventu, Propositiones illæ, licet merito censerentur inconsideratæ, improprie, ac temerariæ, non tamen essent erroneæ, nec periculosa. Hæc ille.

COLLIGES III. S. Thomam in Joachimo, reprehendere in prima parte q. 39. art. 5. in (.). quod dixerit Essentiam generare. Verba Textus sunt: *Respondendo dicendum, quod circa hoc erravit Abbas Joachim, asserens, quod sicut dicitur, Deus genuit Deum, ita potest dici, quod Essentia genuit Essentiam, considerans, quod propter divinam simplicitatem, non est aliud Deus quam divina Essentia.* Inferriq; clarè potest mens hæc Joachimi ex illo quod agebat Joachim. Si essentia non generat quaternitatem fore, non Trinitatem, alii autem Auctores reprehendunt potius in illo, quod posuerit essentias tres distinctas, inter quas sola sit consensio. Unde etiam dicunt per directum hoc solum esse damnatum in Joachimo, cum etiam non sit damnatus Richardus, qui docuit ante Joachimum Essentiam generare. Videntur tamen posse complanari hi Auctores si attendatur ad duplicem in hac Materia errorem Joachimi Primum errorem magis impugnandum accipit S. Thomas, posteriorem errorem alii Auctores.

DIFFICULTAS III.

Utrum dentur in Creatis Præcisiones Objectivæ.

DICENDUM est. Dari Præcisiones objectivas in Creatis. Videtur hæc sententia esse etiam Aristotelis, qui primo posteriorem text. 39. ait: Dari naturam talem quæ præter particulares & singulares naturas, & trianguli naturam, præter quosdam particulares triangulos, & tamen per oppositos trianguli natura, sunt ipsi trianguli particulares.

PROBATUR I. Quia nihil vetat illas dari. Si autem nihil vetat illas dari hoc ipso dabuntur, quia ea quæ sunt necessaria, si nihil vetat ut sint, hoc ipso erunt. Ut autem aliquid possit præscindi objectivè, est quid necessarium, Quod autem nihil veter dari præcisiones objectivas exinde colligetur, quod ad solvendas objectiones adhibebitur, respiciendo autem ordinariū fundamentum Adversariorum illud non convincit. Si enim non darentur præcisiones objectivæ in Creatis,

Creatis, ideo non darentur, quia deberet dari distinctio virtualis in Creatis, quam asserunt illi non posse dari. Sed hoc non vetat ne adhuc dentur Præcisiones objectivæ, quia adhuc nil vetat dari ipsam distinctionem virtualement in Creatis in ordine ad prædicata secundò intentionalia illaq; data non sequetur adhuc mysterium Trinitatis in Creatis ut supra dictum. Nec sequetur ulla infinitudo in Creatura, nec enim est fundamentum id asserendi, & sicut ex præcisione formali non sequetur ulla infinitudo, ita nec sequetur ex præcisione objectiva, imò potius sequetur limitatio desumibilis ex ipsa alienitate virtuali, faciente & limitante hanc Virtualitatem, ut non sit alia Virtualitas.

PROBATUR II. A pari, Datur in Divinis præcisio objectiva. Ergo & in Creatis.

RESPONDET Arriaga. Plura posse Deo convenire propter ejus infinitatem, quam Creaturæ, nec licitum esse, ab eo quod Deo competit, ut pari argumentari quod etiam Creaturæ competat: ita v. g. non est licitum dicere Deus intelligit per suam substantiam. Ergo & Creatura. Potest communicari Natura divina non communicata Personalitate, Ergo & Creatura poterit. Si ergo hæc Consequentia non valent, nec valebit ex eo inferre, quia dantur præcisiones in Divinis dari etiam illas in Creatis.

CONTRA I. est. Dantur præcisiones objectivæ in Divinis ne hoc arguit infinitatem. Ergo & dabuntur in Creatis, non repugnat enim prædicatum hoc præcisionis objectivæ conjungi finitudini, non potest quidem Natura Creatæ communicari non communicatæ personalitate creata, si sit illi identificata realiter, quia hoc argueret Mysterium Trinitatis, sed hoc non contingeret ut dictum supra, positis præcisionibus objectivis. Deinde putatur communiter ab utraque parte implicare Creaturam per suam substantiam intelligentem actu, quia hoc ipso esset actus purus in intelligendo, ratio autem actus puri intelligendi arguit apud utramque partem Deitatem, datis autem Præcisionibus objectivis in Creatis, non apparet quod sequatur fore Creaturam actum purum, vel participantem prædicatum non nisi Deitati innexum.

CONTRA II. Infinitas Dei est impertinens ad has præcisiones, quod probatur. Infinitas Dei vel tribuit vires intellectui præsciendendi unum ab alio, vel non: si tribuit, Ergo ex perfectione objecti crescit perfectio intellectus intrinseca, & vis cognoscitiva, quod falsum est, alias etiam altissimum Objectum, quale est Deus, redderetur etiam quidditative noscibile, idq; naturaliter ab intellectu Creato, siquidem perfectio objecti, augeat vim intrinsecam cognoscitivæ potentia, si autem infinitas illa Dei, non tribuit vires intellectui ipsi, Ergo hoc, quod intellectus cognoscat naturam divinam, non cognitis personalitatibus, non proficitur id ex infinitate Dei essentia, sed ex ipsius intelle-

ctus efficacia, positi in circumstantia objecti virtualiter multiplicis, quod virtualiter multiplex objectum non posse in creatis reperiri, tu non ostendis aliunde.

CONTRA III. est. Circa objectum infinitum, ex eo, quia multiplex est virtualiter pro sua parte, & pro sua parte intellectus, qui habet vim unam eandemq; Entitatem partiendi per plures Conceptus in adequatos, sequitur dari præcisiones objectivas. Ergo etiam circa objectum finitum, si sit multiplex virtualiter in ordine ad nostras intentiones, accedens intellectus, cum sua vi præcisiva, poterit unam formalitatem cognoscere, non cognita alia ex parte objecti. Et certè, pone per impossibile Deum esse infinitum, & non habere distinctionem virtualement, non dabitur jam in Deo præcisio objectiva. Ergo apparet id ex infinitate non oriri. Et si per impossibile in Creatis seclusa infinitudine, daretur Mysterium Trinitatis, hoc ipso darentur & præcisiones objectivæ, cur non enim enuntiari posset, producit personalitas creata ex parte objecti, non producit ex parte Objecti natura, & tamen tunc ut ponit suppositio non foret ulla infinitudo. Ergo apparet præcisiones non arguere formaliter infinitudinem, & sicut non rectè quis responderet ex eo non dari præcisiones objectivas in Creatis, licet dentur in Divinis, quia Creatura non est Omnipotens, eo quod immensitatis Formalitas non spectet ad præcisiones objectivas, ita nec per infinitudinem rectè responderetur, cum etiam illa non habeat nexum formalem cum præcisionibus objectivis.

PROBATUR III. ex principiis Oppositorum. Potest in Principiis Oppositorum unum idemq; realiter cognosci clarè, & non cognosci clarè. Potest item respondere intra eandem Entitatem denominatum ab intellectu, quod est animal, & non respondere denominatum ab intellectu, quod est animal, sed respondere rationale. Potest concipi una eademque Entitas in ordine ad hæc Connotata, & non concipi in ordine ad alia connotata. Ergo poterit idem cognosci ex parte objecti & non cognosci, adeoque haberi præcisio objectiva, & si per Oppositos in Casu Antecedentis qui continet doctrinam Oppositorum, non sequitur de una eademq; re verificari duo contradictoria, ita nec sequitur in nostris principiis, qui etiam ostendimus non ratione ejusdem hoc esse v. g. formaliter animal & hoc formaliter rationale.

ADDO, si quis attendat quo in sensu admittantur præcisiones objectivæ a nobis, vix superesse nisi quætionem de voce, non enim hoc sensu admittuntur, quasi dum attingo animal, illud comparatè ad statum realem non sit rationale, sed quia animal in statu intentionali, & prout repræsentatur, est objectum tale, ut in illo prout repræsentato non respondeat rationale; ita ut tantum illa cognitio animalis non repræsentet nobis rationale, sed ut & ipsum objectum prout repræ-

representatum, quod est animal, non representet rationale, & per hoc quia concedimus non tantum cognitionem v.g. representantem Animalitatem, non representare rationalitatem, sed etiam quod in ipso objecto prout respondente representationi, non respondere Rationalitatē, differimus à Negantibus Præcisiones objectivas. Hinc per nos nec Cognitio ipsa animalis representat rationale, nec ipsum animal, quod est representatum, seu objectum representationis representat illud. Quod autem illud objectum, quod est animal, si sumatur prout representatur, non representet in se rationale, vel exinde habetur, quia experitur anima, ita sibi tunc non presentari objectum, quod est rationale, sicut experitur sub eodem objecto quod est animal, non sibi representari lapidem. Ergo apparet ex parte objecti, non esse illud representatum.

CONFIRMATUR Conclusio. Contra particulares aliquorum in hac materia modos loquendi, præcipue eorum qui dicunt, ex parte objecti, quando cognoscitur animalitas, cognosci rationalitatem, licet tunc non cognoscatur rationalitas ex parte actus, certè enim in intelligibile est, aliquid esse denominatum à cognitione, & non esse actum cognitionis circa illud, sicut non potest dici album aliquid, si illud albedo non dealbet, nec est quidquam visum ex parte objecti oculariter, quod non sit visum ex parte actus. Quæ omnia in hoc resoluntur, quia illud cognitum, illud dealbatum, illud visum, esset denominatum sine ratione sua formalis, quod est Cognitio, Albedo, Visio. Unde jam ulterius urgetur hæc ratio. Id quod est cognitum ex parte objecti, debet habere rationem formalem constitutivam sui in esse cognitio ex parte objecti, hæc autem constitutiva formalis ratio, non est nisi ipsa cognitio ex parte objecti, quæ enim alia esset & tamen tunc habetur negatio cognitionis ex parte Objecti secundum dicta supra quomodo ergo habetur cognitum ex parte Objecti.

Punctum Difficultatis 1.

Respondetur oppositis Fundamentis.

OBJICITUR I. Implicat idem produci & non produci. Ergo etiam implicabit idem cognosci & non cognosci.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia ex priori sequitur distinctio virtualis, in ordine ad prædicata physica, idq; in Creatis quod absurdum est. Non sequitur autem id ex Consequenti.

OBJICITUR II. Per Cognitionem intuitivam non potest fieri præcisio objectiva. Ergo nec per abstractivam.

RESPONDETUR Negando Antecedens in prima parte. Disparitas etiam est, quia quando intellectus concipit res intuitivè, concipit eas prout spectantur à parte rei & in esse physico, in quo nulla præcisio & inadæquatio, quæ inadæquatio potest esse in statu Logico & representationis.

OBJICITUR III. Non datur distinctio virtualis in

Creatis, alioqui res creata per mysterium Incarnationis essent explicanda. Ergo nec præcisio.

RESPONDETUR. Si daretur in Creatis Virtualis distinctio in ordine ad prædicata Physica verum tum non nisi fore Antecedens.

INSTABIS. Si detur quæcunq; virtualis distinctio in Creatis, sequitur nunquam nos posse procedere tunc in forma Syllogistica, antequam nobis cognitum sit, quæ membra sint distincta virtualiter, & ita posito hoc Syllogismo: Omne risibile est animal, omne rationale est risibile. Ergo omne rationale est animal, poterit huic Syllogismo negari Consequentia, eo quod fieri possit, ut aliqua à medio termino non distinguantur virtualiter distinctuantur autem inter se: sicut v. g. hic Syllogismus: hæc Essentia Divina est Paternitas. Filiatio est essentia Divina, Ergo filiatio est paternitas, hic inquam Syllogismus non tenet in sententia distinctionem virtualem in Divinis tenente. Ergo nec in Creatis tenebit.

RESPONDETUR. Syllogismus illum in Creatis non æquè se habere ac in Divinis, quia Consequentia illa in Divinis non tenet ob distinctionem virtualem in ordine ad prædicata Physica, quæ non habetur in Creatis, Rursus vi hujus argumenti, sequitur etiam distinctionem rationis ratiocinata, destruere formam Syllogisticam; quia fieri potest ut aliqua à medio termino non distinguantur ratione ratiocinata distinguantur inter se. Denique concedi posset quod inter præcognita de subjecto & prædicato debeat esse, an sint distincta virtualiter, & sicut alia præcognita non efficiunt formæ Syllogisticæ ita nec hoc. Adde num. 6. dicit Oviedo hoc argumento utens, distinctione virtuali non destrui formam Syllogisticam, & tamen numero 15. dicit: Negari posse Consequentiam ob distinctionem virtualem.

OBJICITUR IV. Cognitio sensuum non præscindit. Ergo nec Cognitio intellectiva.

RESPONDETUR. Disparitatem esse quia sensus non attingit nisi sensibile. Rationes autem illæ ad quas attendit præcisio objectiva, non sunt sensibiles. Deinde quia sub intellectione ut sic, continetur præcisiva cognitio. Si ergo sensus non participat rationem communem præcisionis objectivæ, quæ est intellectio, nec poterit sensatio esse præcisio.

OBJICITUR V. Ita se habet cognitio animalis ad rationale, sicut se habet istius termini homo cognitio comparati ad rationale, & tamen rationale & homo non præscindunt objectivè.

RESPONDETUR Communiter, disparitatem esse, quia inter hominem & animal rationale, non datur distinctio virtualis, quæ datur inter animal & rationale. Hinc quamvis rudis aliquis putaret Petrum esse hominem, sed non esse animal rationale, non præcinderet objectivè defectu ejusdem distinctionis. In nostris principiis disparitas est quia ratio communis animalis, non est ratio communis rationalis, jam autem ratio communis hominis est ratio communis animalis rationalis, præcisiones

† N

autem

autem objectivæ supple in creatis, dantur nonnisi inter rationes communes.

INSTABIS I. Illa cognitio animalis ejusdem præcisiva à rationali, vel est præcisio realiter hominis, vel non est præcisio realiter hominis; non primum, quia hoc ipsum non esset præcisum objectivæ à rationali quod importat homo; non secundum, quia illud animal est realiter homo.

RESPONDETUR. Cognitionem illam animalis, esse cognitionem realiter hominis sed inadæquatè spectati, homo autem inadæquatè spectatus non dicit rationale. Deinde illa cognitio est cognitio realiter hominis pro statu physico, illa enim animalitas pro statu physico, est realiter homo; sed non est realiter hominis, quasi pro statu Metaphysico, totum hominem importet.

INSTABIS II. Ex Oviedo. Implicat ex duabus formalitatibus creatis unam identificari cum alia tertia, & non identificari alteram cum eadem. Ergo implicat animal identificari cum termino formali hujus cognitionis, quæ cognoscit animal & rationale identificatum cum animali, non identificari cum eodem termino. Ergo implicat animal esse terminum cognitionis & rationale non esse terminum cognitionis.

RESPONDETUR. Negando secundam illationem. Ratio, quia Concedo ipsum animal quod est terminus cognitionis identificari rationali pro statu physico, sicut identificatur homini, sed si non cognoscatur objectum adæquatè, nego quod omnia realiter identificata inibi cognosci debeant, identificariq; sibi realiter pro statu Metaphysico.

INSTABIS III. Si cognito animali hominis, non cognosceretur rationale, hoc ipso non cognosceretur hæc animalitas, quia verus est iste Expolitorius: hæc Entitas est rationalis, at rationale est non cognitum. Ergo hæc Entitas est non cognita. Ergo ulterius hæc Entitas non est cognita; nam à sensu infinitante licitum est arguere ad Negativum in simili: Homo est non lapis, Ergo non est lapis.

RESPONDETUR. Distinguendo Majorem hæc Entitas est rationalis sumpta adæquatè, Concedo Majorem. Sumpta Inadæquatè, Nego Majorem. Distinctoque Consequentem, Nego Consequentiam. Inadæquatè enim accepta hæc Entitas, dicit animalitatem cujus essentia non est esse rationale.

OBJICITUR VI. Impossibile est objectum unum & Indivisibile secundum aliquid sui attingi & secundum aliquid sui non attingi. Si autem darentur præcisiones Objectivæ fieret hoc, nam Indivisibilis Entitas hominis, posset in duos inadæquatos Conceptus hominis dividi.

RESPONDETUR. Invertendo argumentum in quantum Oppositi dicunt ex parte actus idem indivisibile objectum attingi clare, non attingi clare. Rursus vera est Major, si objectum ita sit indivisibile ut excludat virtuales multiplicitates & diversa connotata.

INSTABIS. Non potest punctum indivisibile se-

cundum aliquid tangi, & secundum aliud non tangi. Ergo & in præfenti idem dicendum.

RESPONDETUR. Disparitas est, quia in Casu Antecedentis sequeretur dari partem tactam & non tactam realiter, adeoque non esset jam illud indivisibile realiter, utpote involvens partes: cognitio autem nostra non poneret in objecto indivisibili partes aliquas distinctas realiter, adeoque præcisio staret cum reali indivisibilitate objecti, non staret contactus ille. Deinde quia in Casu Antecedentis saltem deberet admitti in creatis distinctio virtualis in ordine ad prædicata physica quod repugnat; non autem sequetur illam admitti, positis præcisionibus objectivis.

Punctum Difficultatis 2.

Respondetur reliquis objectionibus.

OBJICITUR VII. Si animal sine differentiis conciperetur, esset Ens rationis, sed hoc est falsum. Ergo:

RESPONDETUR. Quod non fieret tunc Ens rationis proprium, neque enim animal erit quid impossibile, per modum possibilis apprehensum. Conjunctio item horum prædicatorum vivens sensitivum non est conjunctio impossibile, fieret tamen Ens rationis quoad modum illud faciendi, quia sicut Ens rationis, non fit nisi ab intellectu, ita nec fit præcisio objectiva.

OBJICITUR VIII. Distinctio debet esse in intellectu. Ergo nullæ dabuntur præcisiones objectivæ.

RESPONDETUR. Distinctionem debere esse subjective in intellectu, terminative in objecto, ex eo autem non sequetur, nullas dari præcisiones objectivas.

INSTAT Quidam. Esse cognitum, esse visum, esse amatum, sunt denominationes extrinsecæ objectis, nec se tenent ex parte objecti, sed tantum ex parte actus. Ergo similiter hæc denominatio, esse præcisum seu esse distinctum per rationem animal à rationali, non se tenet ex parte objecti sed ex parte actus; sicut enim cognitio non est in objecto, sed in intellectu, ita & præcisio cum sit actus intellectus, non est in objecto sed in intellectu.

RESPONDETUR. Indubie sicut esse cognitum est quid extrinsecum objecto, ita & esse præcisum, est quid extrinsecum rei, à parte rei & Physicè spectatæ, sed illud quod additur nec se tenet ex parte objecti explicari debuit; si enim facit hunc sensum: quod non ex objecto cognitio oriatur quæ denominat cognitum, vera est propositio, sed si sit sensus nullum dari cognitum objectivum, amatum objectivum, falsa est propositio nec probatur, consequenter dabitur etiam præcisum objectivum, adeoque & præcisiones objectivæ.

Qb.

OBJICITUR IX. Si darentur præcisiones objectivæ deberent esse veræ seu non difformes objectis; sed essent difformes objectis, ut probatur. Quia conciperetur animal, sine differentia rationalis V. G. in homine, quod in homine est cum differentia rationalis. Ergo conciperetur falso & difformiter objecto.

RESPONDETUR. Præcisiones objectivas, hoc ipso quia sunt notie inadæquatæ, debere esse conformes, non objectis adæquatè sumptis, sed objectis inadæquatè sumptis, jam autem animal inadæquatè acceptum, dicit non nisi vivens sensitivum, cui objecto est conformis notitia præscindens objectivè animal. Addi potest ex mente S. Thomæ, quod falso conciperetur animalitas hominis sine rationalitate, si de illa negaretur rationale, sed non falso, si solū tunc nō attingatur.

INSTABIS I. Quando ratio communis abstracta conformatur objecto Metaphysicè seu inadæquatè spectato, conformaturne cum Petro V. G. vel homine, secundo intentionaliter spectato, vel cum eodem primo intentionaliter spectato, si conformatur cum illo, secundo intentionaliter spectato, ergo secūda intētio seu præcisio objectiva conformatur non objecto prout est: ideoque non erit jam vera, quia veritas dicit conformitatem cum objecto prout est; eritque conformatio alteri secūda intentioni, de qua ipsa quærendū restabit: cui conformetur, dabiturque processus in infinitū; si autē præcisio objectiva conformatur Petro primo intentionaliter spectato, ergo aliqua inadæquatio, erit nemine cogitante, aut aliqua distinctio inter animalitatem v. g. & rationalitatem.

RESPOND. Rationem communē v. g. animalis conformari Petro v. g. primo intentionaliter spectato, sed inadæquatè, quæ ipsa inadæquatio non est quidem nemine cogitante formalis, est tamen fundamentaliter & in potentia, sicut & universale, quæ ipsa fundamentalitas, salvat ne illic sit distinctio, nemine cogitante.

Dici etiam posset rationē cōmunem animalis conformari v. g. Petro secūdo intēntionaliter spectato, in quantum jam importat, ex vi intellectus distinctionē, inter animalitatem, & rationalitatem. Ipsa verò distinctio non importabit secūda intentionem, sed importabit conformitatem cum fundamento, ut scilicet illud dicatur esse actū distinctū per opus intellectus, quod fundamentaliter, & potentialiter, & in radice erat distinguibile.

INSTABIS II. Non inest Petro communis ratio præcisā. Ergo illi conformis non est præcisio objectiva, ergo nec vera erit.

RESPONDETUR. Non inest quidem Petro, ratio communis præcisā actu, tamen inest fundamentum præscindendi rationem communem, cui infundatur præcisio.

INSTAT quidam III. In Camestres. Animal Petri actu nemine cogitante est capax cognosci in sensu Virtuali per præcisivam cognitionem expressivam solius animalis: Rationale Petri actu nemine cogitante non est capax cognosci in sen-

su virtuali per præcisivam cognitionem expressivam solius Animalis. Ergo Animal Petri actu nemine cogitante non est Rationale Petri.

RESPONDETUR. Imprimis hoc Argumentum solvi debet ab ipso met Arguente ne prober aliquid contra Mysterium Trinitatis adeoque multum, sic enim retorquetur Argumentum: Paternitas actu nemine cogitante est capax cognosci in sensu virtuali per præcisivam cognitionem expressivā solius Paternitatis. Natura Divina actu nemine cogitante, non ex capax cognosci in sensu virtuali per præcisivam cognitionem expressivam solius Paternitatis. Ergo Paternitas actu nemine cogitante non est Natura Divina, aut potius directè inferendo, ponatur subiectum Majoris, pro prædicato Conclusionis: Ergo Natura Divina actu nemine cogitante non est Paternitas. Ubi ut vides inferitur Conclusio falsa etiam in Principiis arguentis, falsum enim est in illius principiis, imò & fidei, Naturam Divinam actu nemine cogitante (intellige realiter) non esse Paternitatem. Et si sine distinctione ulla admittendæ essent illæ præmissæ, negaret sibi ipsi Arguens consequentiam, quam ne neget distinguendæ essent præmissæ, & per proportionem consimili distinctione utentur illi, qui admittunt præcisiones objectivas. Concedo quidem non debere tribui Creatis, quod conceditur in creatis, sed nec nos similem admittimus distinctionem virtualem in Creatis; at tamen, etiam ab Arguente non debent assumi propositiones tales tanquam veræ, ex quibus servata forma & mutata sola materia, inferitur falsum. Directè posset sic distingui Major. Animal Petri actu nemine cogitante est capax cognosci in sensu virtuali per præcisivam cognitionem expressivam solius Animalis, ita ut non competat in sensu reali hæc capacitas etiam alteri virtualitati. Nego Majorem ita ut hæc capacitas competat in sensu reali alteri virtualitati concedo Majorem. Sed Rationale Petri nemine cogitante non est capax cognosci in sensu virtuali per præcisivam cognitionem expressivam solius animalis, ita ut tamen in sensu reali, sit capax ita cognosci Concedo Minorem. Ita ut ne in sensu quidē reali sit capax nego Minorem. Ergo animal Petri actu nemine cogitante non est Rationale Petri, nego consequentiam.

Utraque hæc præmissa, vel si mavis dicere Enthymena bipartitum in sua partitione imitans Camestres, inponit hanc Majorem: Quando virtualitas est capax cognosci in sensu virtuali per præcisivam cognitionem expressivam sui, hoc ipso, altera virtualitas non est capax cognosci in sensu reali, vel non dicit identitatem physicam cum altera virtualitate, sed hæc Major negatur, ut videre fuit in aliis dictis.

OBJICITUR X. Si darentur præcisiones objectivæ, tunc in conceptu animalitatis Petri & in conceptu rationalitatis Petri aliud ex parte objecti conciperetur. Sed non concipitur aliud, Ergo

Ergo. Minor probatur, quando concipio animalitatem Petri, cum non detur per connotantes distinctio ex Natura rei nemine cogitante, fit ut debeam tunc concipere ipsum Petrum, prout est principium actuum sentiendi. Et quando concipio rationale concipio ipsum Petrum prout est principium actuum rationandi. Ergo non aliud concipio ex parte objecti in animalitate, aliud in rationalitate cum utrobique ex parte objecti, etiam prout representati, respondeat Petrus.

RESPONDETUR. Animalitas Petri dupliciter spectari potest, in primis spectari potest animalitas Petri, quæ est à parte rei, prout est à parte rei. Secundo spectari potest animalitas Petri, quæ est à parte rei (nam etiam à parte rei est Petrus vivens sensitivum, hoc autem est à parte rei esse animalitatem) non prout est à parte rei, sed prout subest nostris conceptibus. Animalitas ergo Petri, quæ est à parte rei, prout est à parte rei, non potest præscindere à rationalitate, quia utrobique ut probat objectio, respondet illi, idem Petrus ex parte objecti. Cæterum animalitas Petri, quæ est à parte rei, si spectetur non prout est à parte rei, sed prout substat nostris secundis Intentionibus fundamentum in re habentibus, jam tunc animalitas Petri præscindet objectivè à rationalitate, spectabiturque animalitas secundum rationes communes & Metaphysicas, quo casu non respondebit sub conceptu animalitatis rationalitas, quia nec respondebit ipse Petrus, à quo ipso tunc jam præscindetur.

OBJICITUR XI. Si darentur præcisiones objectivæ, non esset ratio cur inter aliquas potius rationes dentur & non inter omnes.

RESPONDET cõmunis sententia, illic dari præcisiones objectivas, ubi datur illarum fundamentum, illic autem datur fundamentum, ubi datur distinctio virtualis, illic autem est distinctio virtualis, ubi æquivalentia ad plura, ubi reperibilibus unius formalitatis sine alia.

Universaliter adhuc dici potest illic esse præcisionem unius formalitatis ab alia, eamque objectivam, ubi ratio communis unius, non est ratio communis alterius.

Probat, quia ex dictis præcisio objectiva datur inter rationes communes, & ubi est diversitas rationum communium, erit etiam & præcisio objectiva.

INSTABIS. Vel risibile præscindet à rationali vel non præscindet, si non præscindet, non erit huius ratio, si præscindet. Ergo & reliqua omnia præscindet objectivè.

RESPONDET communis sententia non dari illic præcisionem objectivam, quia non datur reperibilibus risibilitatis sine rationalitate. In nostris principiis dici potest, etiam risibilitatem præscindere objectivè à rationalitate. Ratio quia definitio risibilitatis, non est definitio rationalitatis, consequenter ratio cõmunis unius, non est ratio communis alterius. Admittimus autem præcisiones objectivas in rationibus cõ-

munibus. Et certè ratio effectus Metaphysici, non est ratio communis causæ Metaphysicæ, risibilitas autem est effectus, imò & accidens Metaphysicum: rationalitas autem est causa & essentialis differentia. Universaliter ergo hæc præscindunt objectivè, quæ non comparantur ad se sicut definitio & definitum, quomodo comparantur inter se, v.g. ratio communis hominis, & ratio communis animalis rationalis.

Noro. Fieri posse ut quædam rationes sub una formalitate non præscindant, & sub alia præscindant, & ita fundamentum in circumstantia termini positum à relatione non præscindet objectivè, quia esse ad aliud est ratio communis & definitiva utriusque illius objecti, licet fundamentum sub formalitate absoluti spectatum, à relatione quæ importat esse respectivum, præscindi possit.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta Recentiorum.

OBJICIT I. P. Modzelevski, vir boni & applicati ingenii. Non est possibilis in rebus creatis distinctio virtualis intrinseca in ordine ad prædicata intentionalia. Ergo neque dantur præcisiones objectivæ.

RESP. Hos terminos secundum quod hic sumitur non stare secum, quia non junguntur secum ly intrinsecum & ly intentionale: sicut non junguntur secum ly intrinsecum & ly extrinsecum: sicut enim si quid sit intrinsecum, extrinsecum nõ est ita si intrinsecum sit, intentionale non est. Potest quidè dari aliquid extrinsecum intrinsecè requisitum quia ly intrinsecè non excludit nisi modum extrinsecè, non autem ipsum extrinsecum, nec ratione ejusdem verificabitur extrinsecum & intrinsecum: hic autem ratione ejusdè verificaretur. Immo ex hac ipsa instantia roboratur intentum, tum quia non datur aliquid intrinsecè & extrinsecè simul ratione ejusd. requisitum; ita & in præfenti non potest dari virtualis intrinseca seu ad prædicata intrinseca distinctio; & tamen ad prædicata sola intentionalia adeoque extrinseca ordinata. Unde jã conc. Ant. & nego Conseq. Quod si intèdat objiciens. Si non daretur talis distinctio in creatis, qualis habetur inter naturã divinã & Paternitatẽ, hoc ipso nec dandas in creatis præcisiones objectivas. Negabitur hæc sequela.

INSTAT I. Idem contradictoria intentionalia nequeunt identificari realiter. Ergo etiam formalitates, in quibus includuntur hæc contradictoria intentionalia, nequeunt identificari realiter: alias eo ipso & prædicata in illis inclusa, deberent identificari realiter: Atqui in formalitatibus distinctis virtualiter intrinsecè in ordine ad prædicata intentionalia includuntur prædicata contradictoria intentionalia: quia in una includitur cognitum in alia non cognitum per eandè cognitionem. Atqui propter hujusmodi contradictoria verificanda statuitur inter illas distinctio virtualis intrinseca: Ergo formalitates distinctæ virtualiter in ordine ad prædicata intentionalia nequeunt identificari realiter: aliunde verò debent

debeant esse realiter identificata ut conceditur: Ergo & sunt realiter identificata, & non sunt.

RESPONDETUR. Non admitti per Nos distinctionem virtutalem intrinsecam, & tamen ad predicata intentionalia: Si enim esset Virtualitas ut hic accipitur intrinseca, esset ad predicata intrinseca non extrinseca, ordoque non ad intentionalia tantum. Rursus secundum dicta superius in simili, immerito imaginatur arguens, quod predicata cogniti adequatè identificentur, v. g. essentia, cum predicatum cogniti, importet cognitionem quæ distinguitur realiter ab essentia, quæ cognoscitur, sicut ergo illa cognitio non identificatur essentia; ita nec identificari debet iis quæ sunt idem physicè cum essentia, tantumque essentia cognita secundum essentia rationem, identificabitur sibi, secundum quam rationem identificabitur etiam aliis, cum quibus est idem physicè.

Directè ad Argumentum dici potest Conc. Ant. sed nego formalitates quibus illa predicata intentionalia competunt identificari secum non posse: Dico quibus illa predicata intentionalia competunt, non autem in quibus includuntur; Nego enim in essentia, quæ cognoscitur includi seu identificari cognitionem. Nego ulterius casu, quo formalitates identificantur: quibus competunt predicata contradictoria intentionalia, hoc ipso contradictoria intentionalia inter se identificanda. Concedo quod uni formalitati competat esse cognitam, alteri competat non esse cognitam, sed non probatur quod hæc formalitates, quarum uni competit esse cognitam alteri non cognitam identificari non possint, quod debebat probare. Unde concedo hanc primam Propositionem, uni formalitati competit esse cognitam, alteri non cognitam. Concedo & hanc secundam, quod propter predicata contradictoria verificanda concedatur hæc distinctio. Sed nego Conseq. hanc, Ergo formalitates distincte virtualiter in ordine ad predicata intentionalia nequeunt identificari: Nego inquam Conseq. quia in antecedentibus his duabus propositionibus nihil actum de identificatione. Alia paulò methodo ex dictis satisfat huic objectioni, quod intentionalia contradictoria, si sint ratione ejusdem Formalitatis intra eandem entitatem realem identificari non possint, secus si non sint ratione ejusdem formalitatis, nec enim jam tunc contradictoria erunt, consequenter & formalitates quibus competent, poterunt identificari præcisivè, quia dum competit uni Formalitati esse cognitum, competet & alteri in sensu reali, & identico loquendo de creatis. Si autem quod competet uni Formalitati competet & alteri in sensu reali quomodo & illa non identificabuntur inter se. Ad do, argumentum probare quod nec in Divinis dantur Præcisiones objectivæ.

Sed quidquid sit de modo prædictam difficul-

tatem proponendi, attendi adhuc potest ad objectum difficultatis in hoc stantis. Cognitum & non cognitum non possunt identificari. Ergo nec formalitates seu Virtualitates, quibus competunt illa contradictoria identificari possunt. Sed retorqueo imprimis Argumentum. Album & non album identificari secum non possunt, numquidné paries nunc albus, postea non albus non potest esse idem realiter. Sicut autem albedo accidit ei quod denominatur album, & est distincta realiter à subiecto; ita & cognitio accidit ei quod noscitur, estque distincta realiter ab essentia. Directè autem ex dictis in simili dici potest, quod cognitum, & non cognitum secundum rationem materiale acceptum & secundum id, supra quod cadit cognitio & non cognitio identificari possint: quia tam cognitum, quam id quod non cognoscitur possunt esse quid positivum, adeoque non comparari inter se sicut ens & non ens, quæ inidentificabilia: Et si potest unum idemque exclusivum etiam virtualitatis nunc esse cognitum, nunc non cognitum, esseque hoc non obstante, illa duo, sibi identificatur: cur ergo etiam identificari non poterit cognitum, quod est una Virtualitas, cum non cognito, quod est alia Virtualitas. Si autem accipiat cognitum & non cognitum formaliter, ratione scilicet cognitionis & non cognitionis, cum hæc inter se comparentur, sicut esse & non esse, & unum sit positivum alterum negativum, nec unquam competet ut idem sit cognitio & non cognitio, etià successivè; ideo hæc duo identificari secum non poterunt: licet cognitum materialiter sumptum seu pro eo quod cognoscitur, possit identificari cum eo quod non est formaliter cognitum. Et sicut ratione diversorum connotatorum, potest attingi una eademque entitas, nunc clarè nunc non clarè, potestque ipsum illud, cujus illa sunt connotata, unum idemque esse, licet ipsa connotata inter se, identificari non possint; ita & in præsentia. Quæ omnia ulterius in hoc resolvuntur, quia implicat cognitionem & non cognitionem identificari inter se, non repugnat autem, idem ratione unius Virtualitatis habentis diversa connotata nosci, non nosci aliam Virtualitatem, idque ob disparitatem aliam.

Ne autem arguenti præscindatur filium, & redeundo ad principium aliàs usurpatum dici potest, quod cognitum & non cognitum non sint vera contradictoria, quia nec est illorum Verificatio ratione ejusdem Virtualitatis. *Hinc jam urgens:*

INSTAT II. Saltem animalitas quatenus est virtualiter condistincta rationalitati, est secum omnino idem etiam virtualiter. Ergo erunt verè hæc contradictoria, est idem virtualiter in ordine ad predicata intentionalia, non est virtualiter idem in ordine ad predicata primò intentionalia. Ergo hæc predicata nequeunt inter se identificari. Ergo illæ formalitates in quibus includuntur, nequeunt identificari realiter.

† N 3

RESPON-

RESPONDETUR. Jam supra hæc phrasis de inclusionem rejecta. Si autem ponatur ly formalitates, quibus illa prædicata competunt, sic correcto argumento conceditur totum. Neque enim per nos verificari hæc duo possunt, virtualitas animalitatis est cognita, virtualitas animalitatis non est cognita. Verificari autem potest hæc virtualitas rationalitatis non est cognita.

INSTAT II. Non possunt inter se identificari virtualitas animalitatis cognita, & virtualitas animalitatis non cognita. Ergo neque identificari possunt inter se animalitas cognita, rationalitas non cognita.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argum. in Divinis, ubi Paternitas quoad suam virtualitatem cognita, Paternitas quoad suam virtualitatem non cognita identificari non possunt, & tamen hoc non obstante Paternitas & natura identificantur, quarum uni potest competere esse cognitum, alteri non esse cognitum. Unde argumentum si quid probat, multum probat, quia urget etiam contra divina. Rursus repugnat animalitatem cognosci quoad hæc connotata, nec hæc duo identificari possunt, & tamen potest cognosci animalitas quoad hæc connotata, non cognosci rationalitas, quoad hæc connotata, possuntque hæc duo inter se identificari. Ita & in præsentī idem dicendum. Nam etiam præcisiones objectivæ attendunt ad diversā connotata. Directè autem dici potest, quia cum virtualitas animalitatis cognita, & eadem non cognita, comparentur inter se sicut esse & non esse, idque ratione ejusdem, adeoque contradictoriè, identificari secum non possunt. Jam autem rationalitas non cognita, animalitas cognita, non comparantur inter se sicut esse & non esse, sed sicut esse & esse, sunt enim hæc propositiones nonnisi contrariæ, ideo adhuc inter se identificari possunt.

OBJICIT II. idem. Supponitur dari præcisiones objectivas, inter formalitates pro statu intentionali & objectivo: hoc autem non potest dici. Quia animalitas Petri pro statu intentionali est concretum ex entitate Petri, quæ est à parte rei, & cognitione præcisiua respondente huic voci, animal: similiter rationalitas pro statu intentionali est alterum concretum ex eadē omnino entitate Petri, quæ est à parte rei, & cognitione præcisiua, respondente huic voci rationale: quæ duo concreta, sunt à se realiter distincta inadæquatè, ratione scilicet cognitionum præcisiuarum. Ergo dum dicis dari præcisiones objectivas inter animalitatem & rationalitatem pro statu intentionali, non verò reali, sensus est, quod inter concreta distincta realiter inadæquatè dentur, præcisiones objectivæ; non verò inter aliquas formalitates realiter adæquatè identificatas. Ergo conceditur quod intendunt objicentes, non inter formalitates adæquatè identificatas, adstruendo has præcisiones: nemo e-

nim negat de concretis realiter inadæquatè identificatis, posse verificari contradictoria non tantum intentionalia, sed etiam physica.

RESPONDETUR. Quando conceditur pro statu intentionali dari præcisiones objectivas, negatur quod per statum intentionalem intelligatur animalitas & cognitio, sed intelligitur objectum, quod est à parte rei non ita respondens adæquatè, ut est à parte rei, sed inadæquatè, aut secundum unam formalitatem, quæ si comparatur ad se prout est à parte rei, est idem realiter cum illa altera formalitate. Unde per animal in statu intentionali spectatum non intelligitur per nos concretum ex vivente sensitivo & cognitione: sed intelligitur potius objectum respondens & relucens illi notitiæ, illi præcisioni, licet non ita prout est à parte rei. Deinde alia est hæc quæstio, quid est status intentionalis, & alia de eo quod respondet pro statu intentionali, indubiè status intentionalis realiter loquendi, est objectum & cognitio, hoc autem quod respondet pro illo statu, est solum objectum, quod quia à se non distinguitur realiter etiam inadæquatè, sicut concessis præcisionibus objectivis pro statu intentionali, non concedantur illæ inter formalitates inadæquatè realiter distinctas.

Continuatur Solutio.

INSTAT I. Animalitas & rationalitas pro statu intentionali, nihil aliud sunt, quam animalitas & rationalitas in statu reali sumptæ: hoc est, ipsa entitas Petri quæ est à parte rei: Ergo præcisiones objectivæ, & verificatio prædicatorum contradictoriorum intentionalium, competunt juxta te animalitati & rationalitati sumptis in statu reali: quod ipsum negatur ab oppositis.

RESPONDETUR. Animalitas & rationalitas, si comparentur ad se prout sunt à parte rei, & adæquatè spectentur, sunt ipsa entitas Petri, sed secundum se, prout sunt in statu intentionali, non sunt entitas Petri adæquatè, sed inadæquatè: & quia res in statu reali, est nonnisi adæquatè, prout est; si dantur præcisiones objectivæ rei inadæquatè spectatæ, hoc ipso non dantur pro statu reali. Unde alia est hæc propositio. Objectum quod est pro statu intentionali si comparatur ad se prout est à parte rei est, v.g. rationalitas & hæc propositio est verā; alia hæc, objectum quod est pro statu intentionali, si sumatur prout est pro statu intentionali, prout relucet cognitioni, propositioni &c. est rationalitas, & hæc propositio est falsa; si falsa, hoc ipso sequetur præcisiones objectivas pro statu intentionali, non pro reali dari.

INSTAT II. Animalitas præscindens objectivè pro statu intentionali, est quidem illa animalitas quæ est in statu reali, attamen non prout est in statu reali, sed prout est objectivè in intellectu.

Atqui

Atqui animalitas prout est objective in intellectu, est concretum ex animalitate, quæ est à parte rei & cognitione: quia animalitas prout est objective in intellectu, nihil aliud est, quam animalitas prout cognita. Ergò ulterius Verificatio contradictoriorum intentionalium, & præcisiones objective non competunt formalitatibus realiter adæquatè identificatis, sed solum concretis distinctis realiter.

RESPONDETUR. Cum verbis utamur sicut nummis, ly animalitas prout est objective in intellectu dupliciter sumi potest. Imprimis pro animalitate cognita, adeoque sumendo ut volunt oppositi cognitionem pro parte illius concreti. Secundo sumi potest animalitas, prout est terminus, & objectum cognitionum, quod objectum & terminus, non est pars cognitionis: si sumatur animalitas primo modo, non dabuntur nisi præcisiones formales, tota diversitate oriunda, à parte cognitionis; si sumatur secundo modo, dabitur locus præcisionibus objectivis; erit enim objectum notitiæ una formalitas, & non erit objectum alia formalitas illi identificata; licet una, si comparatur ad se prout est à parte rei, sit idem realiter cum illo alto objecto.

INSTAT III. Etiam objecta illarum notitiarum non distinguuntur à parte rei nisi per rationem. Ergò in illis nequeunt includi (ob dicta superius, pone non possent illis competere) prædicata intentionalia, scil. cognosci non cognosci: quia hæc contradictoria distinguuntur magis quam per rationem: non enim sibi per rationem opponuntur cognosci cognitione A, non cognosci cognitione A.

RESPONDETUR. Quando dicitur quod creatis aliquibus formalitatibus, competat distinctio virtualis in ordine ad prædicata intentionalia, non hoc ipso significatur, quod illa prædicata inter se non nisi ratione debeant differre: indubie enim cognosci & non cognosci, differunt nemine cogitante, sed quod sint prædicata de linea intentionalium: hinc licet cognosci & non cognosci nemine cogitante differunt; ipsum tamen cognosci, est prædicatum de linea intentionalis. Adde quamvis illa objecta distinguantur à parte rei non nisi per rationem, Nego tamen, quod pro statu intentionalis distinguantur per solam rationem, scilicet ratio communis, v. g. Animalitatis, à ratione communis Rationalitatis, & tamen pro statu intentionalis, conceduntur à nobis in creatis Præcisiones objective.

INSTAT IV. Animalitas & rationalitas distinctæ per rationem, sunt animalitas & rationalitas prout præcisæ. Ergò prout sic distinctæ & præcisæ, includunt intrinsecè præcisiones tanquam formas, eritque præcisio ratione formarum realiter distinctarum, adeoque non præcisio objectiva, sed formalis.

RESPONDETUR imprimis. Distinctionam rationis ut vocant, ratiocinatæ non esse ipsem præcisionem, sed supponi ante præcisionem, illaque ad alietatem attendit, hæc ad depurationem ab iis, quibus identificatur, & non sunt de ratione ejus definitiva. Et sicut in divinis distinctio virtualis non est ipsa præcisio objectiva, sed supponitur ante illam: ita & in præsentis. Sed quidquid sit de hoc principio adhuc Argumentum non concludit: nam animalitas & rationalitas prout præcisæ, in nostris principiis, sumuntur prout sunt objectum præcisionum, prout autem sunt objectum præcisionum, non componuntur tanquam partibus præcisione; Consequenter non ratione alicujus distincti realiter, competet unum attingi non attacto altero, sed ratione ipsiusmet objecti, & formalitatis, identificatæ realiter alteri objecto, & formalitati.

INSTAT V. In nostris principiis dici potest, quod licet præcisio activa non sit pars & forma denominans animalitatem præcisam, erit tamen forma & pars præcisio passiva: Contra autem est, quia præcisiones activæ distinguuntur realiter ab animalitate præcisâ: Ergò & præcisiones passivæ: Præcisio enim passiva est identificata realiter, præcisioni activæ: actio enim & passio sunt identificata realiter, consequenter & contradictoria intentionalia, quæ verificantur de formalitatibus quatenus præcisæ passivæ, solummodo verificarentur de formalitatibus realiter inadæquatè distinctis.

RESPONDETUR. Præcisio passiva dupliciter sumitur. Imprimis prout est ipsa actio, quæ prout recipitur, vocatur passio, adeoque passiva præcisio, & hæc indubie non distinguitur realiter ab actione, estque in intellectu; & si intuitu hujus darentur præcisiones objective, non essent objective, sed essent formales. Deinde sumi potest præcisio passiva, pro objecto & termino præcisio, respondente, & hic, non est actio ipsa, sed objectum illius; quod objectum v. g. animalitas, quia non est distinctum realiter, ab altero objecto, quod est rationalitas, ideò illud cognosci & non cognosci, competet ratione prædicatorum identificatorum realiter; adeoque adhuc salvabitur ratio præcisionis objective, quæ est inter formalitates identificatas realiter.

Objicit III. idem. Etiam si prædicata extrinsecè denominantia, secundum id quod important in obliquo, sint extrinseca subjecto, tamen secundum id quod important in recto, sunt intrinseca eidem: Ly enim cognitum in obliquo, importat cognitionem, in recto verò importat subjectum, quod subjectum est ipsum v. g. rationale, ac proinde maxime sibi intrinsecum. Ergò neque hæc duo, cognosci & non cognosci, competent formalitati identificatæ realiter, cum alia formalitate.

RESPONDETUR. Quod in *Ly* cognitum, subiectum scilicet ipsum, sit sibi intrinsecum & quia in creatis non datur distinctio virtualis ut tu vocas intrinseca, idèd nunquam cognoscetur animalitas, quin in sensu reali, & comparatè ad se prout est physicè à parte rei, dicatur cognosci rationalitas, licèt non cognoscatur prout subest nostris intentionibus, sumiturque inadæquatè. Si autem dum cognoscitur formaliter animalitas, in sensu reali cognoscitur rationalitas, hoc ipso non datur adhuc in creatis Distinctio intrinseca, & tamen poterunt dari præcisiones objectivæ.

INSTAT I. idem. Axioma est Dialecticorum quod in omni prædicatione vera. Rectum subiecti cum recto prædicati debeat identificari. Atqui rectum huius subiecti v. g. rationale, est idem realiter cum animali. Ergò etiam rectum huius prædicati cognitum, est idem realiter cum animali. Ergò *ly* cognitum poterit verificari de animali sumpto ex parte objecti: cum rectum animalis & rectum illius, sint idem realiter.

RESPONDETUR. Concedo Axioma, si adhuc sit axioma. Concedo Subsumptum. Nego illam illationem quod *ly* cognitum dictum de rationali inadæquatè sumpto, verificetur de animali quod est idem realiter: quia negatur non posse verificari cognitum de uno identificato realiter, & non verificari de altero: nec id probat Axioma, sed tunc probaret, si ita se haberet; rectum subiecti ita est idem cum recto prædicati & ita identificantur, ut nihil competat etiam intentionale huic subiecto, quod non competat illius identificatis. Quanquam concedi potest quòd *ly* cognitum verificetur etiam de animali sumpto prout est à parte rei, licèt non verificetur de eo sumpto pro statu intentionali, pro quo dantur præcisiones objectivæ.

INSTAT II. Æquè sibi repugnant contradictoria extrinseca atque intrinseca: tam enim uniri excludit id, quod est non uniri quàm cognosci, excludit id, quod est non cognosci. Ergò æquè hæc, atque illa, nequeunt verificari de eodem à parte rei subiecto.

RESPONDETUR. Æquè contradictoria extrinseca, si sint contradictoria formaliter, & respectu ejusdem formalitatis, sibi repugnant, ac contradictoria intrinseca, sed non æquè hoc sensu, quasi sicut non sunt reperibiles formalitates in creatis, capaces unius prædicati primo intentionalis, quin & alteri formalitati idem in re competat: ita nec sunt reperibiles formalitates, quarum uni competat prædicatum aliquod secundò intentionale, quod non competat alteri: hoc enim negatur. Quare autem possit dari distinctio virtualis in ordine ad cognosci, & non ad uniri, jam alibi dictum.

INSTAT III. Etiam cognosci & non cognosci nequit eidem rationalitati convenire.

Ergò quod aliqua denominatio desumatur à Forma extrinseca, hoc nihil impedit quominus opponatur æquè negationi sibi contradictoriæ, atque denominatio extrinseca opponitur suæ negationi.

RESPONDETUR. Non impediri quidem ut æquè sibi opponantur cognosci & non cognosci supposito quod dicantur de eadem formalitate, tamen licèt sit impedimentum, ne in creatis detur formalitas unita, non unità altera identificatà illi realiter, sed non est impedimentum ut una noscatur, non noscatur altera: quia priori concessa distinctione, sequeretur Mystrium Trinitatis in creatis, non sequitur concessa posteriori, ut alibi dictum.

INSTAT IV. idem. Vi præcisionis objectivæ immutantur intrinseca objecti. Ergò non dantur præcisiones objectivæ. Antecedens probatur, quia cognitio præscindens prædicata intrinseca objecti, quæ realiter & intrinsecè sunt unum aliquid, distinguit in plura intrinsecè adeoque immutat intrinseca objecti.

RESPONDETUR. Ex eo prædicata intrinseca, quæ intrinsecè sunt unum aliquid non distinguet præcisio objectiva in plura intrinsecè, quia si formalitas cognita, comparatur ad seipsam, prout est à parte rei, non illa sola, sed & alia formalitas, dicetur cognosci, licèt non cognoscatur pro statu intentionali. Ex alio etiam capite non mutat intrinseca objecti, quia non facit rem in se physicè aliter se habere, numquidne quia inadæquatè cognoscitur Petrus v. g. secundum animalitatem existit jam inadæquatè vel Petrus, vel animalitas; mutatio autem intrinseca prout hic de illa, est mutatio quoad esse physicum & reale.

INSTAT V. Quorumvis intellectus subtilissimè operetur, tamen non potest suâ subtilitate præstare id, ut contradictoria intentionalia identificentur realiter.

RESPONDETUR. Concedo Totum. Sed modus præscindendi, non facit identificari contradictoria, sed facit ut una contradictionis pars de uno verificetur, altera pars de altera formalitate, consequenter ne sit vera contradictio.

INSTAT VI. idem. In objecto realiter simplici, nullæ sunt partes ipsi intrinsece. Ergò nec potest per partes objectum præsentari, seu inadæquatè.

RESPONDETUR. In objecto realiter simplici, nullæ sunt partes reales & physicæ ipsi intrinsece Conciliæ nullæ sunt partes Metaphysicæ. Neg. Ant.

INSTAT VII. Quando dicitur objectum aliquod simplex, repræsentari inadæquatè, non est sensus: quod inadæquatio, seu partialitas sit in ipso objecto, sed quod cognitio non habeat omnem illam claritatem, cum qua postulat objectum repræsentari.

RESPON-

RESPONDETUR. Non esse quidem in objecto partialitatem prout spectato à parte rei, esse tamen in objecto metaphysicè, & prout subest nostris intentionibus spectato, hæcque partialitas objectiva pro statu intentionali, non probatur quod repugnet.

Noro I. Quæ sit distinctio inter præcisiones objectivas, quas concessimus in Divinis à Præcisionibus, quas concessimus in creatis. *Prima* est ratione fundamenti quia Fundamentum Præcisionum objectivarum in Divinis est distinctio virtualis in ordine ad prædicata primò intentionalia (supple inter extrema quorum unum est absolutum v. g. natura, aliud Relativum v. g. Paternitas.) In creatis autem Fundamentum Præcisionum objectivarum, est distinctio virtualis nonnisi ad Prædicata secundò intentionalia. Unde etiam fabricat potius intellectus Objectum quod præscindit, in Divinis autem, reperit Virtualitatem absolutam, non esse Virtualitatem Relativam. *Secunda* distinctio est, quia quando noscitur v. g. Natura communicari, tunc ne in sensu quidem reali, noscitur Paternitas communicari, quando autem noscitur v. g. Animalitas Petri esse vivens sensitivum, tum in sensu reali noscitur etiam Rationalitas esse vivens sensitivum. Conveniunt autem in hoc tam Præcisio objectiva Formalitatis absolutæ & Relativæ in Divinis quam Præcisio objectiva in creatis, quod in objecto prout attacto, & pro statu intentionali, prout respondente præcisioni formali &c. non respondeat Formalitas altera, illi identificata realiter. Cæterum inter Præcisiones objectivas in creatis & inter Præcisiones objectivas in Divinis inter Prædicata absoluta, inter se comparata, vel inter Prædicata & Relativa idè inter se comparata, nulla est diversitas.

Noro II. Quæ sit distinctio nostræ sententiæ, à sententia præscindentium nonnisi ex parte actus. Convenit utraq; sententia in hoc, quod ex parte cognitionis, & verbi mentis, sit inibi diversitas: item, quod status intentionalis, sit status oriundus à parte actus: item, quod actus, & status intentionalis infunderetur entitati, habenti sua diversa connotata. Differunt in hoc, quia nostra sententia, in ipso objecto prout representato, prout respondente, prout terminante cognitione, admittit alicuius unius formalitatis ab alia, stantem in hoc: quia v. g. Animalitas, ita tunc representatur, respondet, terminat cognitionem ac si in verum natura non esset Rationalitas: licet si comparetur Animalitas ad seipsam prout est à parte rei, re vera in sensu reali cognoscatur tunc etiam Rationalitas.

Noro III. Quomodo distinguantur inter se Virtualitates, quæ admittuntur in Naturam & Personalitates, & Virtualitates quæ admittuntur in creatis. Distinguuntur imprimis: quia Virtualitates in Divinis sunt ad prædicata primò intentionalia: in creatis, ad prædicata secundò

intentionalia. Deinde, quia alia est virtualiter nemine cogitante Virtualitas naturæ, alia Virtualitas Paternitatis, virtualiter nemine cogitante; idque ex eo, quia prædicatum *communicari* nemine cogitante competit naturæ, prædicatum autem *non communicari* nemine cogitante convenit Paternitati. Jam autem in creatis virtualiter quidem distinguuntur Animalitas & Rationalitas, in Petro: Virtualitas tamen unius in sensu reali est virtualitas alterius, idque ex eo; quia quod competit in sensu reali & formali animalitati, in sensu etiam reali competit Rationalitati; ad eum plane modum, quo datur à parte rei Animal, sed non distinctum nemine cogitante.

QUÆSTIO IV.

De Distinctione Formali ex Natura rei.

PRÆMITTO I. *Non queri hic: an Formaliter ex Naturæ rei distinguantur Individua vel Species*, non est enim dubium, quod Bucephalus & Alexander, non solum realiter, sed etiam essentialiter seu ex natura rei sint distincti, alias non differrent specie, sed se haberent sicut Petrus & Joannes.

Queritur ergo hic, An ea distinctio ex Natura rei reperiatur inter formalitates, intra unam eandemq; indivisam Entitatem reperiibiles, v. g. An formalitas rationalitatis, non sit nemine cogitante actu formalitas animalitatis in eodem v. g. Petro.

PRÆMITTO II. *Quando queritur: an sint in uno eodemq; Petro plures formalitates, non queritur an sint forma distinctæ*, inter formas enim est distinctio realis, qualis est inter albedinem & nigredinem; sed queritur: an sint plures formalitates, quæ stent cum identitate reali, habeant tamen quidditatem, essentiam, conceptibilitatem objectivam nemine cogitante distinctam.

PRÆMITTO III. *In hoc esse Statum questionis*: Aliqui Auctores Scotum ut putant secuti, tenent distinctionem quandam, quæ non sit realis proprie, qualis est inter albedinem & dulcedinem; quæ item non sit distinctio rationis, qualis est inter definitivum & definitionem; quæ denique non sit modalis, eo quod illæ formalitates non adferant ullam propriam Entitatem. Volunt tamen isti Auctores dictam distinctionem esse plus quam Rationis; quia est nemine cogitante, volunt esse minorem reali; quia non est inter Res & res; sed intra unam eandemq; rem non realiter sed formaliter diversam. Volunt esse Minorem distinctionem modali, quia modus condistinctam Entitatem physicam importat, formalitates autem sunt intra eandem physicam Entitatem. De tali ergo distinctione queritur an detur?

PRÆMITTO IV. *Quæ sit istius Distinctionis definitio.*